

II.

BREVIS RELATIO.

1. *Brevis veraque admodum relatio eorum quæ dicta, facta, scriptaque sunt in causa Sacerdotum appellantium à die 14. februarij anno 1602 quo Romam appulerunt usque ad diem octobris quando ab vrbe discesserunt ab uno ex ipsis sacerdotibus fideliter recollecta.* 538. 54, fol. 97.

AD Almam Vrbem accesserunt de Catholicorum negotijs tractaturi quatuor Sacerdotes Angli, Joannes nimirum Cecilius S. Th. D., D. Tho. Bluettus, D. Joannes Musheus, D. Antonius Champneus, 14 februarij anno 1602. Excellentissimum Dñum de Bethune Christianissimi Regis in Urbe oratorem de aduentu suo certiozem faciunt, qui per internuncios bono illos iubet esse animo, et domi se continere donec illi opportunum videretur.

Die 21. eiusdem mensis sacerdotes istos ad se uocat orator Regius, eosque perquam humanitè et gratiosè excepit. D. Cecilius sociorum nomine Gallicè exposuit breuitè aduentus sui causam, et qua spe freti, et quibus promissis à Christianissimo illis factis fulti ad vrbem accesserunt in causa iustissima contra potentissimos et astutissimos aduersarios. Quibus et breuiter et benigne respondit legatus, Regem Christianissimum illos in protectionem suscepisse sibi que id in mandatis dedisse, ut Innocentiam et Justitiam eorum suo nomine strenuè defenderet, ea tantum lege, et conditione, vt nihil in Reginam Angliæ eiusque statum uel uerbo, uel scripto, uel clam uel palam aggredierentur. Precepit itaque ut nihil illo inconsulto uerbo aut scripto apud Sanctissimum aut Cardinales aliquos tractarent iussitque in hunc finem scriptorum omnium exemplaria apud se deponi. Postridie itum est ad Ill^m Cardinalem Dossake apud quem eadem pene loquuti eandem de

Regis Christ^{mi} in illos affectione et protectione securitatem recipiunt, abeunt leti, et ad futuram pugnam se accingunt: visitant vero eorum iussu Ill^{mm} Farnesium Protectorem, et Burghesium Viceprotectorem, quorum primus difficillimum præbuit aditum, consolationem autem minimam, quamprimum enim eos ad Burghesium remittit, à quo benignissimè accepti spem conceperunt non exiguam res sibi successuras ex sententia.

Die 23. eiusdem mensis, feria nimirum sexta, quæ singulis septimanis oratori Christianissimi apud Sanctissimum acturo destinatur, egit cum sua sanctitate legatus de aduentu sacerdotum, de regis protectione, et intentione, et ut diem statueret quando istos ad se admitteret sacerdotes.

54. t. 98.

Exponit preterea magnam iam esse fenestram apertam iuvandis Cath. quibus Christianissimum eousque fauere demonstrat, quousque se Reginæ suæ fidos, et subditos obedientes præbuerint, nullo commodorum aut pretensionum suarum intuitu, sed solo Justitiæ et Innocentiæ zelo, et amore; rogatque Pontificem, ut [in] causa ista sacerdotum, quos Regina cum socijs nullo modo in se male affectos esse intelligit aut de perturbando regno sollicitos, patrem se ostendat, iustitiæque et innocentiae aurem prebeat, ne illorum videatur patronus et consiliorum particeps qui et vita et regno eam sæpissimè exturbare moliti sunt. In summa esse expectatione totum penè orbem, quid in hac causa fiat; quod si homines istos innocuos a sanctitate sua cum honore, et iusta postulatorum satisfactione dimissos uiderint, valde est uerisimile, et Reginam mitius et moderatius in posterum cum Catholicis acturam, et Regem suum quoad cum Reginæ salute et securitate fieri potuit pro Catholicis intercessurum. Hæc uerbatim legatus a Pontifice rediens sacerdotibus ad se uocatis retulit, quorum unus Cecilius nimirum omnia quasi uerbatim in commentariolos redegit. Pontifex uero respondit se multa de sacerdotibus audiuisse mala, uerum promittit se æquitati locum daturum, et audientiæ diem assignat quartam martij.

Interim Personius et sui palam per urbem uolitant ad omnes

penè Cardinales, tam uiua uoce, quam calamo singulos istos sacerdotes perstringunt, et mille calumniis onerant. Parasitos quinque suos Hadocum, Thos. Fitzharbertum, Hescettum, Baynes, et Swetum^a cum libellis istis famosis ad Cardinales mittit; ipse legatum Galliae et Cardinalem d'Osacke ut illos a sacerdotum tutela diuerteret, sed frustra; quæ à dictis parasitis et Personio in sacerdotes dicta et scripta sunt hic omittuntur, quia in sequentibus paginis ad integrum referuntur.¹ Eodem uero et ore et tempore quo in sacerdotes ista euouerunt, eos miris modis ad colloquia, ad congressus, ad Collegium, ad conferencias inuitant; de quo rogatus et consultus legatus interdixit omnem uel minimam cum illis familiaritatem, qui in Reginae Angliæ caput et Regnum conspirassent; quo nullum unquam sacerdotibus dari potuit aut sanctius, aut salutarius consilium, prout rerum euentus docuit.

54, f. 98b.

¹ *infra*, pp. 103-107.

Tandem uenit optatus dies quo sacerdotes ad Sanct^{mi} pedes admittuntur ex quibus unus, uidelicet Musheus, latinè cepit exponere, undè et à quibus et qua de causa ad urbem fuerint missi ex Anglia, uidelicet à Cath. et fratribus suis, ut Sanctitatem suam de innocentia sua in obiecto illo schismatis, inobedientiæ, et rebellionis crimine informarent, controuersiam illam determinari et declarari peterent, ut statum Ecclesiæ Anglicanæ exponerent, et quæ ad pacem stabiliendam essent necessaria explicarent, ut a Sanct^{mo} peterent, ut aliquam pro Catholicorum leuandis miserijs iniret rationem, cum illa quæ hactenus per arma tentata est, contra Catholicorum pene omnium mentem, tam malè successit ut accessores, et Architectas turbarum istarum, qui nobis semper bellorum motibus et inuasionibus iratos et irritatos in Catholicos faciunt magistratus, castigaret, et reprimeret, ut de confessionibus factis appellantis declararet.

54, f. 99.

Ad quæ Pontifex (cuius animum iam aduersariorum clamores et calumniæ præoccupauerant) uultu non admodum sereno et benigno

^a "Thomas Heskett, Haddock, Baines, Thomas Fitzherbert, and one Sweet, are his [Parsons'] mercenarii to deal against us and spread calumnies." *Mush to Ed. Bennet*, Mar. 31, 1602. *Tierney*, iii. p. clvii.

respondit: multa vobis objiciuntur et ad nos in dies afferuntur, quod à Regina missi regijs sumptibus huc acceditis: quod si estis hæretici quid opus est confessione aut absoluteione? quod ad obiecta crimina attinet nescio in quo obedistis, quod de libertate attinet conscientiæ fortassis persecutio vobis est magis necessaria, non enim mihi placet talis cum hereticis familiaritas, uultis enim esse inter spinas et non pungi. Rogauit denique si haberent mandata a Regina aut si haberent aliquod memoriale.

54, l. 99b.

Responsum est a D'no Cecilio, primo se nec à Regina esse missos nec ab ea pecunias nec mandatum accepisse, cupere uero ut eius in Catholicos animus leniretur, idque Aristidis, Basilij, Iustini, et Tertulliani, et Cardinalis Alani exemplo motos cupere, qui et persecutionem et persequutionis interualla Ecclesiæ necessaria futura iudicarent. De obedientia uero data aut negata huic sedi lis et controuersia est, ad quam dirimendam ad sedem istam aduolauimus, quod hæretici aut schismatici nunquam fecissent, aut homines male in fidem istam affecti; memoriale autem non attulimus cum nihil aliud petimus quam dari nobis Iudices, qui audiant, et referant Sanctitati Vestræ quæ nobis referenda dederunt commilitones nostri, et Catholici in Anglia.

Summus Pontifex ad Ill^{mos} Burghesium et Arigonium Sacerdotes remisit, imperans ne quenquam preterea aut uisitarent aut informarent.

Redeunt è Palatio Sacerdotes mæsti, et ad oratorem Galliæ (quem solum in Vrbe, et Patronum et Consiliarium, et in afflictis rebus et dubijs asylum habuerunt; alius enim nemo palàm se fauere sacerdotibus istis profitebatur ob metum Hispanorum et Jesuitarum) recta inquam ad eum properant, vultu demisso et animo quasi fracto narrant, quam durum experti sunt patrem, quos deinde illis commissarios assignauerat. Ipse gratiosè admōdum, et animosè (ut est ad gratiam natus) recreat percussos et perturbatos sacerdotes, polliceturque se Pontificem ad meliorem mentem propediem reducturum. Interim de deputatis cogitat, et suos consulit; an uiderentur sacerdotibus futuri si non propitij

saltem æquabiles, et ἀδιάφοροι; invenit in tota curia Romana uix inveniri duo Prælatos tam æqui bonique studiosos, qua spe refocillati sacerdotes discedunt.

Post biduum, feria nimirum sexta, egit orator cum Sanct^{mo} 54, f. 100. de rebus sacerdotum, et eorum nomine memoriale exhibuit, ubi petierunt ut liceret illis de obiectis criminibus respondere, ita tamen ut adversarii in scriptis appositis chirographis suis obiecta crimina exhiberent; egit preterea Pontifici gratias, quod tamdiu sacerdotes, et tam patienter audiuerit, quod tam suaves, pios et benignos deputatos assignauerit; cepit deinde liberrimè et rogare et monere Pontificem, ut uellet serio de rebus Angliæ, et cogitare et informari. Hactenus enim, ut successus rerum docet erratum esse turpiter cum de Anglia ad fidem reducenda armis et inuasionibus sit actum; cum enim Regina Angliæ suis viribus non sufficeret ad hostium uim repellendam tamen regem suum non posse Principem illam, et Regnum illud in prædam relinquere tam potenti inimico; suasit itaque Pontifici ut non negligat occasionem tantam Catholicis iuandis oblatam, Reginam enim Angliæ mitius et moderatius de Catholicis sentire, multa autem esse quæ loquuntur posse illam flecti, et ad benignitatem et suauitatem maiorem reduci: primum quod de Sanctitate Vestra perhonorificè idque sæpius loquuta est; quod sacerdotes istos, alios uero morti destinatos, alios in carceribus uinctos intellecta ex libris et controversijs istis eorum innocentia, ex vinculis liberauerit, quod fontes ab insontibus discernere didicerit, quod natura sua sit ad suauitatem et clementiam propensa; verum, multa esse narrat quæ infensam illam reddant, et 54, f. 100b. Catholicis inimicam: primo tot molimina à Personio et suis in vitam, statum, regnumque eius suscepta, tot libri in eam eiusque Consiliarios conscripti, tot libelli famosi dispersi, toties in eam per diuersos Pontifices fulminatæ excommunicationes, tot excitatæ rebelliones, tentatæ inuasiones, missi sicarij et uenefici, quibus amotis offensionum fontibus non est dubitandum reginam religionis ergo in Catholicos nullo modo sæuituram. Si itaque

Catholicorum in Anglia saluti prospectum esse cupit Sanctitas v'ra, excommunicationes istæ sunt antiquandæ; Catholicis omnibus sub grauissimis censuris est interminandum, ne se ullo modo, uel directè, uel indirectè, uel per se uel per alios in rebus politicis aut regni statum spectantibus exercean, sed omnem in temporalibus Reginæ suæ fidelitatem exhibeant; castigandi sunt et separandi à regimine collegiorum et præfectura aliqua in Anglia illi omnes qui cum Personio statum non solum Regni et Reginæ sed etiam Catholicorum tam miserè perturbarunt; denique aut amouendus, aut ualde limitandus est Archipresbiter iste qui ad partes Hispanicæ promouendas falsis informationibus uideretur institutus; ubi uero tutum non uideatur esse ut ista omnia primo et uno impetu faciat Sanctitas uestra, saltem sacerdotes istos dimittat, cum aliqua iniuriarum suarum satisfactione et petitionum indulgentia, ut paulatim et pedetentim et Reginæ in Catholicos ira deferuescat, et Sanctitas V. in alijs capitibus illi gratum faciat; sicque futurum est ut Rex etiam Christ^{mus} sese in hoc negotio tam sancto et Deo grato interponat.

54, f. 102.

Ad hoc summus Pontifex respondit se oratori gratias agere infinitas Regique suo quod de Catholicorum salute tam sint solliciti, nihilque sibi magis esse cordi quam quod de Regina placanda proposuerat, rogauitque ut negocium hoc de mitiganda Regina urgeret, quam ille nunquam aut censura aliqua perstrinxit, aut ullo alio modo in particulari offendit præterquam quod more Ecclesiæ contra hereticos in generali promulgatur. Promisit autem se ad Religionis negocia sola Catholicos reducturum, sacerdotibus istis satisfacturum, uerum illud etiam uidendum est, inquit Pontifex, ut Regina etiam pro parte sua nostris sanctis desiderijs aliquo modo respondeat.

Eadem feria sexta egit pro solito orator Regius cum Ill^{mo} Aldobrandino illique exposuit rerum Anglicarum statum, prout Pontifici prius fecerat; ingenuè fassus est se tum primum sapere et intelligere in quo statu essent res Anglicanæ, neque antehac quicquam intellexisse, opemque suam et operam sacerdotibus promisit, eosque ad se mitti ab oratore rogauit.

Memoriali dato ab oratore Regio pro sacerdotibus, responsum est postridie, et Cardinalibus deputatis mandatum ut Patrem Personium uocarent et illi Pontificis nomine præciperent ut in scriptis singula obiectorum capita articulatum exhiberet, nomina autem affigi non placuit Sanct^{mo}. Personius mensem integrum in congerendis calumnijs conterit, tandem ingentem affert farraginem, integrum nimirum refertum librum; Pontifex autem et Card., nihil fide dignum in illis accusationibus inuenientes, noluerunt ea Sacerdotibus in manus dari, sed iusserunt ut negocia sua prosequerentur. Datæ tum illico a Sacerdotibus rationes, quibus de inobedientia et scismate liberarentur, cum memoriali Sanct^{mo} exhibito, ut controversiam illam dirimeret, quod fecit vi. aprilis, prout in exemplari literarum à sacerdotibus in Angliam missis disertè apparet.¹

54, f. 102b.

¹ *infra*, p. 146.

Tandem uentum est ad grauamina Archipresbiteri; quæ, quoniam in magnum congesta sunt fasciculum, et constant præcipuè in testimonium et chirographorum et singraphorum productione et allegatione, nullo modo necessaria duximus in hanc eas inserere relationem, cum in libris impressis multo maior eorum et præcipua pars contineatur, et D'nus Musheus, et D'nus Champneus, prolatis ante Card. Archipbr. singraphis cum obmutescentibus Jesuitis et procuratoribus suis, grauaminum omnium rationem fecerunt.

Ad Aldobrandinum missi à legato Christianissimi e sacerdotibus duo ab illo satis benignè excipiuntur. Italico Cecilius incipit sermone et presentem in Anglia Catholicorum statum exponere monereque quam sit necessarium ad conciliandos Principum animos lenitate, submissione et fidelitate uti, quantum adhuc in modo conuertendi Angliam sit erratum, quantum expedit a politicarum rerum cura et sollicitudine Catholicos omnes arcere.

54, f. 103.

Ill^{mus} Aldobrandinus respondit se nemini esse subiectum nec in partes ullius Principis propensum, præterquam quod Religionis Catholicæ propagatio postularet se solum Pontificem agnoscere; de reliquo se sacerdotum conatibus et postulatis eo usque non defu-

turum quoad Ecclesiæ Sanctæ exaltationem et religionis augmentum spectarent.

Ceptum est postea agi de Personio eiusque libro de Successione Angliæ, quem uidisse se fassus est Card., neque reperiri posse quicquam in illo libro mali. De illa prohibitione Cath. ne res status tractarent cœpit dubitare quis de futura successione pro- uideret. Responsum est a Cecilio, Qui disponit omnia suauiter, rex regum et Dominus dominantium, per quem reges regnant. Apud Card. in scriptis reliquerunt dicti sacerdotes discursum de presenti Angliæ statu¹ et literam quandam Patris Personij, cui responsum est et demonstratum in mediis illis ualde errasse. Alia enim scripta promiserant per Legatum Galliæ in illum finem transmittere quorum omnium exemplaria, quoniam in sequentibus paginis habentur,² breuitatis causa prætermittimus.

¹ *infra*, p. 117.

² *infra*, pp. 70, 71, 76, 90, 113.

54, f. 103b.

Vocati sunt deinceps predicti sacerdotes ad examen librorum et propositionum temerariarum quæ à Personio et suis dictis sacerdotibus obijciebantur; ipsi alijs omnibus libris præter illos duos Sanctiss^{mo} D'no et sancto officio dedicatos latine, et librum dictum 'Exemplar quarundam literarum' ^a nuntium remiserunt, nec ullo modo consentientes fuerunt, propositiones uero istas pene omnes et alias multo peiores in libris Jesuitarum contineri asseuerarunt.

Feria sexta sequenti legatus Galliæ cum Sanct^{mo} egit de iniuria facta sacerdotibus in librorum et propositionum istarum obiectione; accusationem istam non ex alio fonte quam ex inueterato odio exoriri hinc docuit, quod catalogum propositionum æquè in eadem materia temerariarum ex ipsorum Jesuitarum libris collectum Sanctissimo porrexit. Rogatus a Pontifice an haberet libros huiusmodi continentes propositiones, respondit, Parisijs se habere non autem in vrbe; rogatus a Sanctissimo ut pro libris mitteret, misit, et libros cum propositionibus Pontifici 1^{mo} Augusti exhibuit; harum propositionum catalogos, quæ utrinque fuerint datæ, quia inter scriptorum exemplaria inferius continentur,³ breuitatis causa omittimus.

³ *infra*, pp. 96, 99, 147.

Vbi omnis ista accusationum tempestas in fenum euanuerat

* *The Copies of certaine Discourses*. Imprinted at Roane, 1601.

missi sunt sacerdotes negotia sua prosequi, et postquam Archipresbit. suis depinxissent coloribus, considerationes exhibent Sanctissimo de incommodis et inconuenientijs Archipresbiteratus, aliamque subordinationis formam magis ad pacis et unionis perpetuitatem spectantem proponunt; responsum dat Personius cum suis his considerationibus; replicatum est a sacerdotibus huic responso, quorum exemplaria inferius affixa¹ ampliorem hac de re discursum prohibent.

54, f. 104.

Sequuta est decima nona^a Junij audientia quam habuit coram sua Sanct^{te} solus D'nus Cecilius, oratore Galliae aliisque eius socijs id ipsum suadentibus, et rebus suis expedire iudicantibus. Quid actum sit in ista audientia uidere licet in particulari hac de re scripto exemplari,² et ceteris, annexo inferius.

¹ *infra*, pp. 118-146.² *infra*, p. 110.

Verum cum diem martis Card. assignauerat,^b Sanctissimus mutata mente eodem die totum negotium ad Ill^{mos} Sancti officij Cardinales remisit in quo mirifice insudauit Hispaniae legatus, ut mora ipsa et dilatione, (quae officio sancto sunt maxime propria) sacerdotes perterriti ad aliquas pacis et reconciliationis condiciones aures praerberent.

Iterum afflicti Sacerdotes ad asyllum suum confugiunt, ad Excellentissimum nimirum Galliae legatum; rogant ut Hispanorum et Jesuitarum machinis et ca[ta]pultis uelit ignem suae auctoritatis admouere, uelitque consilio et persuasionibus suis tantum efficere ne ad tribunal tam tardigradum reicerentur. Legatus omnem illico metum ademit, dixitque se effecturum ut aut mentem mutaret Pontifex, aut moras omnes excluderet.

Quamprimum igitur aderat audientiae dies: inter cetera sua grauissima negocia causam sacerdotum non negligit. Cepitque dicere mirari se quod sua sanctitas mentem et diem statutum Card. mutauerat, et ad sanctum officium reiecerat, ubi omnia tardissime tractantur et expediuntur, neque posse sacerdotes istos tantam moram pati, occasionesque et opportunitates bene gerendi in Anglia non esse spernendas, iam ab omnibus palam Hispanorum

54, f. 104b.

^a According to Mush's English narrative Cecil's audience was on the 17th.

^b Something left out here. The appellants heard of the remit to the Inquisition on Thursday the 27th.

et Jesuitarum potentiam in hac causa palpari, palamque apparere rem esse non religionis sed status, rogavitque instantissime Pontificem ut tanto malo tantisque suspicionibus occurreret. Egit denique gratias pro benigna illa D'no Cecilio data audientia, iterumque Pontificem monet nihil in Anglia uel a Rege suo pro Cath. sperari posse boni, nisi Iesuitæ à sacerdotum Regimine separarentur, nisi Cath. omnes à rebus politicis arcerentur, nisi secura fieret Regina se subditis non inimicis fauere, et conscientiarum aliquod leuamen indulgere.

Responsum est a Sanctissimo legatum male intellexisse eius in hac remissione ad Sanctissimo officium mentem: factum est enim pro sacerdotum istorum bono, ut quæ pro ijs determinata fuerint maiori cum auctoritate, et maturiore cum iudicio prodeant, neque ullam se positurum in hoc negotio moram; de Cecilio autem quem ad me superiori die misisti uelim intelligas illum mihi abunde satisfecisse, velimque ut eum ad omnes Sancti Officij Cardinales mittas, et illos informet eodem modo quo me prius informauerat: quod Pontificis propositum cum legatus rediens sacerdotibus communicauerat, mirifice sunt refocillati.

54, f. 105.

Ill^{mis} Burghesio et Arigonio eadem narrat Cecilius quæ summo Pontifici 29 Julij [*sic*]^a narrauerat, addens nonnulla de truci, tetrica, et tyrannica Personii natura, de eius stupendis artificiis et technis, et quod ille ad mortem et extremas reducerat angustias Penellum [?]; totum intremunt Personicum; uoluitque illos simul ad cenam uocare et pacem inter illos concludere. Card. de Ascoli non ausus est illos frequenter admittere propter metum. Card. de Avila tractatum de scismate aliaque Jesuitarum molimina damnat. Ill^{mus} Sfrondratus hoc modo cum sacerdotibus conclusit, Separetur à vobis Personius, et de pace non erit dubitandum. Singulis Card. transmissa sunt scripta nostra et libri exhibiti; ipsi interim consultant; legatus Hispaniæ, Jesuitarum Generalis, Personius et sui per urbem et Card. aulas uolitant; sacerdotes uero orant.

^a June 19 *supra*.

Quatuor à sancti officii Cardinalibus, quatuor istis sacerdotibus ijsque fauentibus, obiecta sunt crimina ; primo, Nimia cum statu et magistratu heretico familiaritas ; 2°. librorum impressio, quorum nonnulli propositiones habuerunt ualde temerarias ; 3°. paucitas appellantium et fautorum suorum. 4°. et ultimo, Regis Christianissimi patrociniū. Ad tria ista prima capita accusationum responsum habetur in particulari quadam schedula suo loco.¹

¹ *infra*, pp. 62-64.

54, f. 105b.

Ad quartum idem responsum dederunt sacerdotes, quod Personio dederat Excellentissimus Galliae legatus, cum illum primo inuiseret, et inter cetera quibus usus est ad animum eius a sacerdotibus auertendi argumentum hoc erat praecipuum : quod sacerdotes isti rem religionis ad negotium et causam status reduxissent, confugiendo ad regis Christianissimi patrociniū. Cui legatus uerissimè et acutissimè respondit ; Itanè tandem tibi uidetur durum, et ex regis patrociniū uix per tres menses sacerdotibus istis concessio perturbatum et confusum religionis negociū, cum tu tuique per tot annos in tantis negotiorum uarietatibus Regis Hispaniae nomine, auctoritate, et patrociniū estis usi, aut tibi gloriari licet in tot tuis literis, et scriptis de Regis Hispaniae protectione ; istis uero sacerdotibus Regis Christianissimi protectio uitio est uertenda : quo responso bonus ille pater obmutuit ; idipsum responsi dederunt Ill^{ms} Sancti officii Cardinalibus dicti sacerdotes cum de calumnia ista postulabantur.

Accidit autem ut legatus Galliae, qui in Personium et suos huc usque solum tanquam Reginae et status Angliae inimicos sese armauerat, (quem bis eo nomine semel ante aduentum et iterum post aduentum sacerdotum à se reiecerat) suggerente I. C[ecilio] aliam eamque iustissimam haberet occasionem Personium exagitandi. Exhibuit enim D^s. C. ecc^{mo} legato totum paragraphum e libro Successionis ubi Regi et Coronae franciae uideretur inimicissimus : quam nactus occasionem orator Regius sequenti audientia Italicè sanctissimo exhibuit ipsissima Personij uerba,² asserens se huc usque in causa sacerdotum Personio restitisse, at iam se, Regis sui nomine, Personium tanquam inimicum sui

54, f. 106.

² *infra*, p. 64.

Reg's et habere et declarare; Pontificis iudicio reliquit si religiosorum essent ista exercitia, Principum et regnorum titulos et regna diuidere, et lites excitare uix multis seculis restinguendas; quod ipsum Thome Fitzharberto, causam Personij apud eum agenti, dixit liberrime, et non sine stomachi demonstratione.

Nono Augusti Pontificis nomine sacerdotes ad se uocat Ill^{mus} Burghesius, illisque Sanctitatis suæ nomine exhibuit declarationem sancti Officij Pontificisque ipsius manu correctam et annotatam, eandem etiam parti contrariæ porrigit; illico sacerdotes ad legatum confugiunt declarationemque demonstrant; iubet legatus ut quæ pro statu religionis in ijs uiderentur dura ipsi sacerdotes exponerent, seipsum uero quæ ad statum regni pertinerent cum sanctissimo tractaturum.

Itum est eodem die ad Burghesium; Dñs Cecilius cæterorum nomine presentibus singulis ita loquitur: Ill^{me}, Vidimus S^{mi} sanctique officij declarationem, et in ea uidimus singularem illam, quam de nobis et negotiis nostris curam habetis, et sollicitudinem agnoscimus, gratiasque habemus infinitas. Verum inter declarationis istius capita, sicut quædam sunt iustissima, et causæ æquitate uestraque pietate dignissima, sic quædam sunt in praxi et executione difficillima, ueluti tali obedire superiori, cum quo tam capitales exercuimus inimicitias; quædam dura, ueluti recursus appellationum ad Ill^{mm} Farnesium; quædam non satis explicata et perspicua, ut illud de libris et propositionibus temerarijs, quædam factu impossibilia, ut congressus et colloquia cum hereticis v. g. si nouero quenquam Cath. in Reginae caput conspirasse, in hoc casu teneor vitæ meæ consulere, et Cath. istum accusare.

Quibus respondit Card., hæc mihi in scriptis afferetis, et ego Ill^{ms} S^{ti} Officij Dominis legenda et consideranda proponam; quæ singula magis accuratè et curiosè inter cetera exemplaria habentur.¹

Die uero Augusti undecimo Ecc^{mus} Galliae legatus cum Pontifice egit de ista S^{ti} officii declaratione, gratiasque egit quod tandem sacerdotes istos iustissimè à linguis et labijs dolosis

54, f. 106b.

¹ *infra*, p. 65.

liberasset, et pro innocentia et iustitia eorum determinasset, at multa sunt capita, quæ aliquanto duriora et cum illo de quo toties egerunt pacifico rerum cursu pugnancia. Primum enim de persona Archipresbit. in pristina dignitate et auctoritate stabilienda infinita occurrunt incommoda, quod Principibus pene omnibus persuasum sit illum in hunc finem fuisse promotum ut Hispanorum inseruiret ambitioni, quod eo magis ex hac tam pertinaci eius defens^e in hac curia apparet et oppositione facta ab Hispanis ijsque fauentibus equissimis sacerdotum postulatis, magisque continuatio ista post tot obiecta et probata crimina suspectum reddet et negocium, quod 54. f. 107. ipsa prima institutio licet a Personio in hunc finem procurata fuisse constet,^a neque posse pro omnibus æque Catholicis, aut regem Christianissimum intercedere aut reginam quicquam concedere dum qui ceteris præest utrisque merito sit suspectus.

De appellationibus ad protectorem deuoluendis, magis ista suspicionem augent, et propter sanguinis cum Hispano coniunctionem, et propter necessariam ab Hispano dependentiam; preterea nullo modo uidetur expedire aut dictis Principibus posse hoc satisfacere, ut is eorum statuatur iudex et arbiter quorum opera aliquando uti poterit ad familiæ aut parentum suorum titulos iuraque ad Regni sceptrâ promouenda. Hæc legatus.

Ad quæ Pontifex respondit Farnesium esse creaturam suam: Archip. uero ad tempus esse in illo statu relictum donec maturius aliquid aliud. statueretur, et interim ita esse limitatum et restrictum ut nihil possit omnino in istos uel alios grauius exercere.

Rogavit preterea legatus ut quampridem dimitteret istos sacerdotes, quod se Pontifex facturum pollicetur. Dum in sancto officio de negocijs Angliæ consilium capitur, cursitat cum suis P. Pers. idque sedulo agit, ne tam publicè et tam apertè reprehendatur Archipresb., nec Iesuitæ à rerum regimine amoueantur, ut P. Personius Archipresb. agens in Vrbe statuatur, ne prohibeantur Cath. rebus se politicis immiscere; hoc ipsum P. Generalis, legatus Hispaniæ, eorum deuoti omnes, omni conatu urgent.

^a Negocium . . . constet. Some clerical error here.

54, f. 107b.

Venit tandem desiderata dies, cum se sacerdotes uocatos intelligunt ad Pontificem 3^o. octobris hora pomeridiana 3^a. accepturi, ut existimarunt, breue et benedictionem Pontificis pro comiteatu. Pergunt læti ad Palatium, ubi uident omnium in se coniectos oculos, dicunt Janitoribus se à sua sanctitate uocatos esse; responsum est iam sibi omnia nota esse, iussique sunt parumper expectare, ubi notandum est Dñum Cecilium paulo pridem ægrotasse: significatum uero sacerdotibus fuit ut ille si ullo modo è lecto possit surgere una etiam adesset, ita enim iubere Sanctissimum; dum ingressum expectant ad Sanctitatem suam sacerdotes, ecce adest cum Dño Parkero et Archero P. Personius, ad inuicem salutant, sedent unusquisque loco suo, silent, sacerdotes illico suspicari cœperunt quod res erat, P. Personium nimirum uelle, et illos et Pontificem, simulata pace in presentia Pontificis et cum auctoritate eiusdem facienda, et Sanctitati suæ imponere et ipsos causam suam pessundare. Cogitant igitur serio apud se quid agant, quid Sanctitati suæ respondeant, quomodo hoc tam inaspectatum malum deuitent; orant preterea secretè apud se ut permitteret Deus ne in presentiam Pontificis illo die admitterentur, cum ecce de repenti Cardinales, qui episcoporum examini præsunt, adueniunt idque cateruatim. Adest una et Cardinalis Farnesius Protector noster, tanquam testis futurus reconciliationis nostræ.

54, f. 108.

Vrbs tota et tota Curia nihil aliud sonat quam Anglorum reconciliationi in Palatio ante Pontificem destinatum fuisse diem illum; tamen, ad portam accedens, Pater Personius responsum accepit illo die non posse Pontificem rebus suis vacare, discedit cum suis, ex quibus duos ad sacerdotes mittit, qui moneant frustra sacerdotes expectaturos, propter Pontificis negotia. Illi uero mirificè eius discessu recreati parumper expectant, donec commode ad magistrum Camerae et cubiculi præfectum accedens Dñus Cecilius, dixit se adesse prout iussit Pontifex, et una rogare si illos iubeat expectare, qui frustra illos expectaturos respondens eos in diem commodiorem dimisit, abeunt illi rectò ad Asylum suum, et tanti periculi monent legatum Galliae.

Postridie quarto nimirum octobris orator Regius suam sanctitatem adiens narrat quàm sit astutus P. Personius, quantum simulata pace solet suis aduersariis officere, quales rumores spargere, qualia mendacia; deinde monet Pontificem sacerdotes istos nullo modo posse cum Personio familiaritatem aut congressum aliquem habere, præter illam quæ Christianis omnibus est communis charitatem, nisi uelint et patriam suam, et Principem, et Regis Christ^{mi} Patrocinium renunciare; rogat itaque Pontificem ut, si Catholicis in Anglia benè consultum uoluerit, desinat sacerdotes istos ad fictam et auctoritate potius quàm affectione animorum factam pacem compellere: se enim illa ipsa hora, qua cum Personio, Regis sui inimico declarato, pacem tam solemnem fecerint, illos deserturum.

Respondit Pontifex se re uera hoc in animo habuisse, pacem 54, f. 108b. inter presbyteros et Patrem Personium illo ipso die et loco conclusisse, et[iam] antequam portas cubiculi sui essent egressi presente Cardinali Farnesio ad mutuos amplexus et pacis oscula coëgisse, verum non mihi in mentem uenit nec Personium adeo fuisse artificiosum, nec sacerdotibus tantum inde imminere mali; vnde conclusit Sacerdotibus non futurum hac de causa ulterius molestum. Et sic laqueus contritus est regij oratoris opera et rationibus, et liberati sunt sacerdotes ab istis grauissimis difficultatibus. Eo enim res reducta est (nihil tale somniantibus sacerdotibus) P. Personii dolis et artificijs, ut sacerdotes aut Pontifici et Protectori in os resisterent, et pacem persuadentibus contradicerent, aut Reginam Angliæ, quam satis sibi placatam reliquerant, offensionibus et suspicionibus nouis alienarent, Regisque Christianissimi patrocinio se suosque priuarent, cuius periculi imminentem procellam Eccell^{mus} Galliaë legatus parua quasi corporis declinatione dissipauit.

Vltimo uero septembris à sancti officii Cardinalibus data est sanct^{mo} 2^a eorum declaratio, et à sanctitate sua uisa, lecta, et correctata est, et 1^o octobris R^{mo} D'no Vestrio Barbiano data est ut in Breuis formam redigeretur, cuius Breuis exemplar unum

54, f. 109.

authenticum ad instantiam legati Galliae sacerdotibus, alterum Archipr. procuratoribus erat tradendum, verum neutri parti ante factas et sigillatas bullas eorum capita erant communicanda. Pater Personius uero tantum potuit Hispanorum potentia, ut praecipua capita totius declarationis sibi communicari curaret: cumque iam die septimo octobris expedita, signata, et sigillata essent omnia iamiam sacerdotibus tradenda tantum effecerunt cum . . . ^a ut minutam Breuis quae [*ad praefectum Brevium . . .*] ^a prius ad Vestrium mittitur quam Breue dimittitur, [. . . *apud Aldobrandinum Brevium praefectum . . .*] ^a à die septimo usque ad 12. qui fuit dies ille quo legatus Hispaniae suam habet cum Pontifice audientiam, nulla diligentia, nullis precibus, nulla auctoritate dicti sacerdotes obtinere potuerint. Egerunt enim ipsi sacerdotes [. . . *cum pio Aldobrandino*] . . . ^a egit legatus Galliae utrisque sanctiss^{ma} ^b promisit ^b se illico minutam esse mittendam ^b verum post datam legato Hispaniae audientiam illico relaxata sunt Breuia, et missa minuta.

54, f. 109b.

Vnde suspicio magna data est oratori Regio dictisque sacerdotibus tergiuersationem istam tantam eo factam esse, ut articulum illum prohibentem Catholicos rebus politicis se immiscere expungerent, quod cum inconsulto Pontifice ueriti sunt facere, eoque sunt usi procrastinatione ista donec Hispaniae legatus id a Sanct^{mo} obtinuisset, quod eo uidetur uerisimilius [quod viri quidam magni fideque dignissimi] ^c de capite hoc, et articulo in Breui contento certo certiore fecerunt legatum Franciae.

Verum mirandum est, et oratoris Galliae iudicio ingenio et in rebus gerendis dexteritati tribuendum, quod contra tam potentes exercitatos, astutos, et tot amicis munitos adversarios, et versutissimum illum P. Personium tantum praualuerint isti simplices, egeni, inexercitati sacerdotes.

^a Erasures.

^b So altered by another hand.

^c This substitution, together with the preceding erasures on this page, is made by a subsequent hand with the remark at foot of folio 109: "Jay rayé les lignes cy dessus." In each case the name of *Aldobrandinus* or *praefectus Brevium* is legible beneath the erasure.

Aduersarios in hac causa habuerunt sacerdotes in primo eorum aduentu rerum Hybernicarum expectationem (vix enim post tres menses ex quo ad urbem venerunt credi potuit Hispanos ex Hybernia fuisse eiectos),^a Hispaniæ legatum totamque factionem Hispanicam, Iesuitas eorumque deuotos, par. nouas nuptias [?], et ex Anglia Belgia et Hispania literas omnium ordinum et locorum, hominum utriusque sexus, ad Pontificem.

Præter Regis Christianissimi protectionem, et Excell^{mi} Galliæ Legati infinitam industriam et sagacitatem maximam, amicum habuerunt neminem, qui illis palàm et liberè astipulari sit ausus, tam propter pretentiones (ut aiunt) quas in Curia Romana habent, tam propter metum J. et H.^b

Restat vltima audientia cum Pontifice, et valedictio.^c

Die 16. mensis octobris eiusdem anni, idipsum primo sollicitante legato Galliæ, admissi sunt ad pedes Pontificis dicti sacerdotes. D. Bluettus latine pauca dixit gratiasque egit petijtque reseruari unam benignam aurem suis fratribus si quid imposterum ad eum deferri contingeret.

Ad quæ sanctissimus paucis etiam respondit placere sibi promptam illam obedientiæ uocem ac fidem sine charitate nihil posse, imo nudam esse, docet. Ad pacem hortatur sacerdotes, et una ostendit cupere se omnibus satisfacere, et Angliæ præ ceteris subuenire, at Deus scit, inquit, quantis premor angustijs. Rex Hispaniæ ex una parte, Rex franciæ ex altera vrgent. Principes isti omnes quærunt quæ sua sunt, ita ut nesciam ubi inclinare caput, et sic sacerdotibus plurimas gratias spirituales indulgendo eos dimisit, rogans illos in discessu quid illis de Card. Burghesio

Verba ista
egent com-
mentario.

^a The Spanish army under Don Juan d' Aguilar capitulated at Kinsale on Jan. 2. They embarked for Spain Feb. 20, but it was not until after the siege and destruction of Dunboyn in June that expectation of further Spanish aid was abandoned by the Irish insurgents.

^b Jesuitarum et Hispaniæ ?

^c From this point to end of next page of this copy the text is smaller and cramped, as though added as an after-thought. It encroaches on f. 110, the first page of new matter beginning "Responsio," &c.

uidebatur ; responderunt placuisse illis admodum, et iterum benedictione accepta discesserunt.

Finis.

- 54, f. 110. 2. *Responsio ad ea quæ obijciuntur de Familiaritate quorundam sacerdotum cum Magistratu Hæretico in Anglia, et quod aliqua libertate ab ijs fuerint donati, et quod ab ijs viaticum acceperint.*

54, f. 110b. Accusati quidam ex nostris, et Londinum è carcere Vuisbecensi uocati, quod contra caput Reginæ conspirassent, cum quodam qui ex Hispania à Iesuita quodam Anglo se missum ad hoc^a confitebatur, durissimoque et seuerissimo examini eo nomine subiecti, ità se de obiectis criminibus purgarunt, ut non solum se liberos, et omni huius accusationis suspitione uacuos esse ostenderunt, uerum etiam et se et ex fratribus suis quamplurimos nihil unquam aut tentasse aut cogitasse contra statum Regni politicum aut Reginæ salutem demonstrarunt ; protestatique sunt a Summo Pontifice a quo missi erant sibi ser[io] et instanter interdictum fuisse ne rebus se politicis aliquando immiscerent,^b quibus mota regina permisit, ut ex patribus alios liberarent è uinculis, alios adhuc liberos itineris comites haberent, Romamque pergerent, partim ad aliquas suas dirimendas controuersias, partim ut illi satisfaceret an quæ in Anglia contra Regni statum à quibusdam tractata auctoritate Pontificia fuissent facta necne : quod si hac illam suspitione Summus Pontifex liberaret, spem dedit certissimam de aliquo in fidei negotio liberiori progressu, et grauioris persecutionis relaxatione, neque preterea quicquam à nobis cum magistratu heretico unquam est actum, nisi

^a See note, vol. i. p. 122. Among other absurdities Squiers in his examination before the law officers in London (Cal. Dom. Eliz. Oct. 19, 1598), with unconscious irony makes Father Walpole say " he would write to Dr. Bagshaw at Wisbeach Castle as he knew all the courses of the Jesuits." The indignant Doctor found no difficulty in establishing his own innocence, but he does not seem to have suspected the possible innocence of Walpole.

^b I do not know of any such papal prohibition forbidding the missionaries to meddle with political affairs. The Jesuits, however, on their joining the mission in 1580 received from the superiors of their order the strictest injunctions to that effect.